Michaël

Babski Sim. Hyac: Sermo gratiarum.

TERNIO GRATIARUM GENTILITIA CRUCE,

ILLUSTRIS ac MAGNIFICI DOMINI,

D. MICHAELIS

de Szczepánow

SZCZEPANOWSKI,

DAPIFERI ZYTOMIRIENSIS,

SIGNATUS.

DUM

D. AGNETIS

de Monte Politiano introductio,
ad Ecclesiam Ordinis Prædicatorum Insignis
Conventûs Bochnensis,
Sumptu Ejusdem
ILLUSTRIS ac MAGNIFICI DOMINI,
ex antiquis parietinis relevatam,
solenni institueretur apparatu,
PER
M. SIMONEM HYACINTHUM BABISKI,
In Alma Universitate Crac: Philosophiæ Doctorem & Professorem,
Panegyricô cultu

CELEBRATUS.

Annô Domini MDCCXXVII. Die 7. Septembris.

CRACOVIÆ Typis UNIVERSITATIS.

m.

In Stemma
ILLVSTRIS
AC
MAGNIFICI
DOMINI.



HÆc CRUX bella domat, laurus evincit ovantes,
Hoc signô semper vincitur omne nefas,
Hostica, bellipotens uno ferit agmina cornu,
Binô de victis laurea serta refert.
Trina parte CRVCIS signatur Gratia trina
In Cujus quavis, Gratia parte latet.

ILLVSTRI
AC
MAGNIFICO DOMINO,
D. MICHAELI
de Szczepánow
SZCZEPANOWSKI,
DAPIFERO ZYTOMIRIENSI,
Domino Mecænati Gratioſiſsimo.

VIrtuti cuilibet ſingularem deberi laudem, nemo eſt, qui ambigat, munificentiæ tamen quòd neceſſe ſit principaliorem tribuere applauſum, nulla inconvenientia eſt. ILLVSTRIS ac MAGNIFICE DOMINE MECÆNAS. Hæc equidem una virtus dum cæteras in ſe complectitur illarum etiam, ut antecellat encomia congruum eſt. Ingrata quippe Cælo & ipſi exoſa terræ parſimonia, ſicut nihil in ſe continet,

quod vitiatum non ſit, ita diſpari modô placida Superis mortalibusq; liberalitas, ſingulariter ſi non profanos diſſipetur in uſus, & juſto moderamine fiat, nihil in ſe complectitur, quod non ſit virtuoſum. Ego Prothaſim poſui Apodoſis in Te eſt Illuſtris ac Magnifice Mecænas, qui inter alia virtutis Tuæ ſpecimina, dum pro relevanda ex antiquis ruinis Sacra Æde munificum impendis ſumptum eo ipſo debitum Tibi exquiris applauſum. Ex hac liberalitate Tua, quam Bochnenſis Sacri Prædicatorum Ordinis experitur Baſilica, laudum Tuarum ampla fit materies, quia tamen illam exiguæ non ſufficienter complectuntur pagellæ, ipſa tenuitatem excuſat, quia ſupra calamum eſt, à benigno tamen Superum favore, ut exoptato omnigenæ felicitatis compenſetur beneficiô Ædis relevatæ & proprium exprimo votum,

ILLUSTRIS ac MAGNIFICÆ DOMINATIONIS,

devinctiſſimus cliens & ſervus
Author Operis.

TERNIO GRATIARVM CRUCE GENTILITIA SIGNATUS.

INitiale laudum Tuarum exordium, quò uberiùs ex omni promanat fonte eo difficiliùs intra exiguos paginarum margines comprehendi poteſt. Ampla equidem virtutem Tuam concernentium elogiorum exuberantia, ſi imbecillem Encomiaſtæ Tui exce-

dit capacitatem, quomodo intra exiles comprehendetur pagellas? Quilibet fons Oratorius in Tuam exundat apotheosim, & eo ipso audentem in Tui cultum Nominis terret accessum. Tuæ circumstantiæ solæ magnæ virtutes sunt, sed quidquid illis accedet Oratorium, erit illis impar. Divisionem non admittis, qui etiam compositionem laudum præcellis. Singularius Tibi deberi encomium à cunctorum opinionibus desumitur, quod nam tamen sufficienterTe concernat,nec opinari conceditur. Cadit nec securo eventu in Tuas consurgere audet apotheoses imbellis Eloquentia, quæ Tuorum gestorum opprimitur gravitate, & quantò celsiores Tuas attentat virtutes, tantò humiliùs serpere videtur. Munificentia Tua, quæ in thema dictionis abit inopem facundiam reddit, ad cujus valorem supellectilis Oratoriæ pretium vilescit. Svavissima laudis portio Tibi Dignissimo oblata Dapifero infra gustum est, quia sufficiens Tui elogij habere non

re non poteſt condimentum. Cerusſati Oratorum flores pudore ſuæ vilitatis coacti meritò emarceſcunt, dum & odore Tuæ gloriæ & vernanti ſemper meritorum florilegio ſuperantur. Micantes Cæleſtis axis ſtellas computare perarduum opus eſt, multiplicatam virtutum tuarum pluralitatem in Oratorium reducere numerum ejusdem difficultatis negotium. Implent Tua encomia ſcripturientem calamum, ſed eo ipſô commodè exprimi non posſunt. Materia laudis Tuæ ampla eſt, ſed quia pluribus etiam Oratorijs formîs compleri non poteſt difficulter tractanda proponitur. Supra ſublime dicendi genus Tuum ſublimius eſt, & ſuo ſplendore Oratoria lumina extingvit. Signum Tuum Gentilitium, crux Te laudantibus eſt, cujus figura nullo Rhetorico ſchemmate condignè exprimitur. Tu ipſe MICHAEL omnes de Tuis cogitantium encomijs Superas conceptus, & elevatisſimum etiam Tuîs virtutibus transvolas ſtylum. Por-

ro pulchrum eſt de Te ſcribere, ſed ſufficienter nulli calamo conceſſum, glorioſum eſt Tuas attentare laudes, ſed illas attingere raris permiſſum mihi denegatum. Verùm audentem Tua gratia juvabit; & inflexæ ſub pondere virtutũ Tuarum tenuitati in ulteriores ſurgere permittet laudes. Licuit Homero Magna Achillis opera in puſillo Iliadis coarctata opere exiguo nucis includere putamini, & mihi à Te concedetur facultas intra exiguos pagellarum margines Tuas virtutibûs ampliatas celebrare laudes. Si humilis facundia eſt in Te ſublimabitur, ſi levis ſtylus eſt Tuum nomen gravem efficiet, ſi vilis ex ſe hujus operis apparatus eſt, ex Tua liberalitate de qua inſtituitur pretium mutuabitur. CRVX Tua Gentilitia fauſtum mihi porrigit omen, MICHAELIS ethymus pennas ſubminiſtrat, Sacra per Te relevata Ædes in domicilium abit, ex quo laudum Tuarum ſumatur argumentum. Lapides de Sacris ejus parietibus clamant, & ſub

Gen-

Gentilitia CRVCE Tua gratias latere denuntiant. Ergo fas eſt ut in munifico ſumptu Ternio Gratiarum CRVCE Tua Gentilitia ſignatus ſpectatori Orbi præſentetur. Exile laudum Tuarum compendium ſub hoc patebit titulo, qui ſi non de condigno debita Tuis virtutibus explicabit elogia, à magnitudine illarum, quâ ſuperatur, excuſationem habebit.

Multis encomiorum titulîs veneranda antiquitas, dum adhuc priſcis temporibus, magno injuriati Cæli beneficiô modum vigendi habuit, inter cætera numerô vix computanda Numina, quibus, cæca mente, non regulato intellectu, & more erroneo Divinum exhibebat cultum, quòd trinas etiam pro Deabus adorabat Gratias, veterum monumenta teſtantur. Habebat illa in longo Deorum ſuorum computu fulminantem Jovem, cui directionem Regnorum, committebat, ſalcigerum Saturnum à quo aureos temporum ſperabat ſucceſſus, Sangvinolentum Mavor-

tem ſub cujus auſpicio, bella movebat, & alios plurimos, quibus rerum ſuarum commendabat eventus, aſt præter hos & inter Dearum numerum, in quo, Junonem pro amicitia vitæ, Cererem pro abundantia frugum, Divino dignabatur cultu, etiam tres Gratias, à quibus omnes experiretur favores, referebat. Erant ſuperſtitione imbuta Numina, nitenti fuſa metallô tres uno nexu junctæ Charites, ſpeciei paritate & non diſſimili ætatis expreſſione adumbratæ, quas, inclytas Summi Tonantis antiqui dicebant eſſe filias. Blando ſe colentes intuebantur oculô, fronte læta & gratioſo geſtu omnium favorum pollicitantes dona. Perfectionem gratiarũ cæco errore ducta agnoſcere vellens antiquitas trinas ſub trino venerabatur nomine, Aglagiam Thaliam & Euphroſinen. Ab his quæ cæteri recuſabant impertire Dij ſupplices priſcorum impetrabant cultus, & conſilia & honorum poſſeſſiones, & belli eventus, & victrices palmas ſub earum auſpicio feliciter

citer reportabant. Pro clariori majoris earũ venerationis documento pomposum eis munifici cultores exstruxere fanum, quod Mygdonico condiderunt marmore, Syculo texere metallô, firmis stabilivere basibûs, terno accessum ampliavere gradu & sumptuosis munivere valvîs. Sed procul hinc cedant sæculi figmenta prioris, dum veriorem gratiarum ternionem, Gentilitia Magnæ SZCZEPANOVIORVM DomûsCRVCE signatũ veneramur. Tempus edax rerum & cunctis invidiosa vetustas marmoream solo æquavit structuram, cujus, inhabitantes trinas obruit ruina sorores. Fabrefacti metallô flores, quibûs superstitiosæ coronabantur Deæ in fatales eisdem commutati cupressos. Per superba limina profanis Deabus facilis successit descensus Averni, & sũptuosæ valvæ indignam oculîs idololatriæ clausere scenam. Feliciori omine hic Gratiarum ternio Tua Gentilitia signatur CRVCE, quæ nihil non benignum, nihil non gratiosum desi-

 gnat.

gnat. Poſſet hic imò deberet, à primis Illuſtriſſimæ Domus Tuæ fundamentis firmum hujus Apodicticæ veritatis deſumi ſtabilimentum, ſed ejus magnitudo imbecillem terret animum. Te ipſum hic humilis acolito cultu veneratur penna, & ad Tuos ſangvinis Illuſtriſſimi non audet deſcendere fontes, exuberanti Tui ipſius encomiô circumfuſa. Tuæ virtutes ſatis ex ſe ſplendidæ ſunt, non eſt neceſſe illas fatali Aboriginum cinere expoliri. Poſthumis victura ſæculîs Tuorum rectefactorum gloria, non opus eſt ut inanimatis mortuorum ſimulacrîs animetur. Veriùs dicam initialem Domus Tuæ lineam tangere non meum eſt, quam tot & tanti Domus Tuæ Illuſtriſſimæ laudatores, ducere inhoabant, ſed non continuavere, ego hanc totam in Te uno veneror & admiror. Sufficiet mihi dicere, quòd de Tua Illuſtriſſima Domo famoſô redeuntia ſæcula curſu repando loqvuntur ore ſolas in illa reſidere gratias nuntiando. Quæcunq; rectefacta in Tua

magna

Magna coluntur Domo, omnia Gratias ſpirant & ſua Gentilitia ſignant Cruce. Erudita conſilia, quibûs Illuſtriſ: SZCZEPANOVIj ſuam juvabant Patriam Aglagiæ nomen habent, Fervens pietas, quâ erga honorem Divinum & Eccleſias ardebant, Thaliæ Ethymum ſortiuntur, Heroica dexteritas, quâ legum immunitatem Libertatisq; integritatem imperfracto tuebantur conamine Euphroſinen præſentant, & Ternionem Gratiarum ſua Gentilitia ſignatum cruce ſe ipſis probant. Habuit hæc Illuſtr: Domus acerrimos Honoris Divini, zelô pietatis in Eccleſiam Succēſſos Defenſores, inter quos pretioſiorem Rubiconem roſeo Martyrij ſui Sangvinis ſplendentem purpuriſſô inæſtimabile Cracij Vavelli Clenodium & Metropolitanæ Pretium Infulæ Cælo donavit, & illo Lechicum ditavit Orbem. Porro: quoties Tua Illuſtriſſima Domus in firmanda pace, in ſeditionibus fugandis, in removendis hoſtium impetibus, in legationibus arduis præclare & feliciter

D obe-

obeundis, in magnis Reipublicæ officijs cum dignitate suscipiendis desudavit, quoties & Ecclesiæ DEI gerendæ, & Patriæ defendendæ, & Reipublicæ ornandæ insignes cum laude subministravit Viros, arduum esset, nec meæ imbecillitati convenies longas de singulis texere historias, dicere sufficit quemlibet SZCZEPANOVIVM in dando judicio Consum, in protegenda Religione & Ecclesia Numam, in defendendis legibus Lycurgum egisse prudentissimũ. Quidquid agnovit in rectefactis Atavorum Tuorum id totum gratias sibi datas experiebatur Lechia & Ecclesia. Cõsilium SZCZEPANOVIORVM, quo etiam malignantia avertebant negotia, gratia est, bellica fortitudo, qua immunitatẽ Lechici & Divini tuentur Honoris Gratia est, triumphales laureæ, quas in Sarmatico uberrimè plantavere campo, Gratiæ sunt CRVCE Gentilitia signatæ. Hæc quæ dixi Tua sunt, Mecænas Gratiosissime, qui hunc Gratiarum Ternionẽ in Te ipso complecteris.

ris.

ris. Non invidemus elapſis Tuos Atavos ſæculis hos omnes in Te uno habendo. De Te ſolo agere meum munus eſt, ex quo inſigne totius Domus erumpit incrementum. Tibi collectas ſingulariori beneficio impertivit natura dotes, quas in Illuſtr: Tuos quandoq; diſperſit Avos:

Quem pietas, quem cana, fides jucundaq; mitis
Temperies animi, manans ceu limpidus amnis,
Corda, animos mulcens commendat gratia fandi,
Et Themis, & firmô nitens prudentia Thalo
Ante omnes illuſtrat Avos.

Excelſam Tuam mentem, tantùm admirabundus colo, in qua Muſæ etiam ſapere videntur. Heroicam virtutem dictis exprimere nequeo, quæ ſi cuilibet Tibi ſingulariùs innata SZCZEPANOVIO, qui nominis ipſius timendus ſono MICHAEL, vel hoc ipſo Tuam defendis Patriam, dum Eccleſiam reparando tueris. Aſt has virtutum Tuarum dotes, quarum pulcherrimũ compendium es in uno munifico conſpicio ſumptu, quô Sacram Ordinis Prædicatorum Inſignis Conventus Bochnenſis

Basilicam ex vetustis parietinis relevasti. Indignus memoria Herostrates per desolatum Ephesinæ Dianæ fanum in historijs sæculorum esse voluit, hoc ipso famæ suæ perditor, quia avidꝰ. Tu Mecænas Gratiosissime satis magnum nominis Tui, vel exinde habes incrementum quòd sanctioris Dianæ Immaculatæ Virginis MARIÆ Sacram Ædem ex antiquis per XVIII Annorum lustra fumantibus ruinis munifico erexisti sumptu, in qua dum DEI jam evanescentẽ gloriam innovasti novum Tui honoris fecisti augmentum. Hæc pomposa Ædes, quam ante quatuor prope sæcula Regius erexit Thesaurus, quam fortis cõstituebat lapis, artificiosa comẽdabat structura delicatꝰ Apellis exornabat penicillus, stabilitæ firmabant bases coctiles tegebãt imbrices, compta circumstabãt Altaria, & fragrantia replebãt Thura hæc malignanti edacis temporis vicissitudine; deflendis per tot annos sepulta in ruderibus, modò tandem faustiori eventu, ad Sacrum Gentilitij Stemmatis

signum

ſignum reviviſcit. Faceſſent imò ceſſent neceſſe fomenta veritatis, antiqua vatum laurigerorum comenta, quòd ſolidum robuſtus Atlas ſuſtentet Olympum. Parvum eſt imò nullum fortitudinis documentum, hoc ſuſtentare, quod nullum lapsûs horret nocumentũ. Cælũ Sacra Ædes, nõ mirũ, quòd casũ ſubeat, quia terreſtre, fortiorẽ tamẽ nanciſcitur Atlantẽ Te SZCZEPANOVIUM per quẽ ab infelici elevatur ruina, & in firmiori munifica manu roboratur ſtatu. Quæſivit anxi9 hic Conventus, quẽ collapſæ ſuæ reparatorem haberet Eccleſiæ, MICHAELEM reperit, per quem Angelica fermè operatione, quia virtuali, Sacra ſiſtitur Ædes. Theſaurum à quo inops ditaretur hoc Sanctuarium jam non cũ accẽſa Diogenis face meridiantis temporis intervallô, ſed cum nitente Dominicani catuli Tæda tot Annorum luſtrîs Bochnẽſis inquirebat Conventus, Conſtantini more penes. CONSTANTIÆ Nomen, Gaſophilatium, ſub SZCZEPANOVIA CRVCE feliciori reperit ſorte, & fortunato ſtetit omine. Acerri-

mus pro Honore DEI MICHAEL SZCZEPANOVIUS honorem Ecclesiæ tuetur, dum relevat desolatã ut Sacrũ habeat campũ ubi DEI gloriã defendat Sacrã sistit Ædem, in qua festiva resonet echo, quis ut DEUS. Fortis pro DEO Gladiator MICHAEL, suum hisce sacris lapidibꝰ incidit Nomen, quos in Sacrã DEO exscidit Ædem. Verè Ternio Gratiarũ Tua Gentilitia signatus Cruce, à qua favorẽ ipsa gratiosa in hoc residens sanctuario agnoscit Imago. In hac, Regiam liberalitatem (qua Pristinis temporibus hæc stetit ædes,) juvante munificentia, quæ non eminet virtus? Ardet amor Superũ quibus hoc pomposum MICHAEL dicavit Templũ ipse se pro primo litando holocausto. Ardet amor Cæli indigetũ, quibus addictissimus magnam nova Sãctitatis redimitam Corona Sacri Prædicatorũ Ordinis & omniũ Patronã D. de Monte Politiano AGNETEM munifico & Magnifico in solenni ejus introductione veneratur aparatu, ut & Cælicolæ Ternionem Gratiarũ Cruce SZCZEPANOVIA testentur & signatum. Ardet

det amor proximi, quo erga immeritũ de Te Bochnensẽ MICHAEL incalescis Cõventũ, beneficia nisi ipso præmianda Cælo largiendo. Pensat amicũ Cælũ tantos, Tibi SZCZEPANOVIO favores, cui in amicitiæ fædus magnam CONSTANTIAM, pretiosum Domus FREZERORVM donavit clenodium. Ipsa hæc individua vitæ, comes verior Euphrosine debet coli. Mittit plures Cælum Gratias in SZCZEPANOVIAM CRVCEM, quæ plures, quam trinas habere promeruit, dum non degenerem in vitą & moribus progeniẽ in æstimando Filiorum habes binione. Florentissima in illis, probitatis, modestiæ, pietatis indoles, quid est nisi magnum Tuæ gloriæ incrementum. Fidelis ad artes ingenuas in illis viget applicatio in moribꝰ constantia, in gestibus affabilitas in omnibus vera Tui Imago. Plura Tibi pensabunt Superi, quibus Tu tam multa impẽdis. Satis de Te dicere, quia SZCZEPANOVIVS es, qui in Domo Tua Illustrissima, LVBOMIRSCIOS, SZEMBECIOS, FREZEROS, BIELECCIOS, OGONOWSCIOS, JAROCCIOS, SPINKO-

VIOS, IERZEWSCIOS, BOROVSCIOS, ORŁOVIOS, BYSTRAMOVIOS, & alios plurimos magnarum Familiarum ſplendores Genethliaco comprehendiſti. nexu. Narrarunt & narrabunt de Illuſtriſſima Domo Tua ſæcula, quam ego in Te uno totam veneror. Tu ipſe ſedes gratiarum coli debes, ex cujus facie non una ſed millenæ prodeunt gratiæ, ſed dum hoc titulo SZCZEPANOVIAM veneror Crucem, Te idem concernit laudis Ethymus. Deberet longiùs ampla laudum Tuarum protendi materies, ſed quia de Viro emerito, de Viro gratiis, & virtutibûs pleno, ideſt de Te, dicere nunquam ſatis, ceſſat calamus & Tibi in profundum Homagium cadit. Inclytus tantùm Sacri Ordinis Prædicatorum Bochnenſis Conventus, Te Benefactorem ſui muniſicentiſſimum intimô veneratur votô: hoc Tibi quem Plinius Trajano adijciendo elogium: in Tuis manibus noſtram fortunam geſtas, in quibus promptuarium noſtræ felicitatis habemus: apprecando: ut qui munifico ſumptu Sacras ex vetuſtis parietinis relevaſti Ædes, ad ſumma altiſſimorum honorum eleveris faſtigia, qui Sanctuarium tituló MARIANO inſignitum munificâ ſtabiliviſti dexterâ, ad Illuſtriſſimos titulos aſſumaris, conſtantis fortunæ ſucceſſu, longevæ incolumitatis proſperitate, Felix, Coventui Bochnenſi in patrocinium, clientibus & Nominis Tui Cultoribus in præſidium VIVAS.